



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

II. De Communionis præcepto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

## CAPVT II.

## De Præcepto Communionis.

12. **Q**uo iure Eucharistia sumenda? Et diuino, & Ecclesiastico. Diuino quidem iure aliquoties<sup>n</sup> vita sumenda Eucharistia, in fine scilicet & exitu huius vitæ; in ingressu, quando iam rationis vsus aduenit, circa duodecimum frequentius annum; in medio denique vitæ quarto videlicet, vel quinto anno, vt probabile affirmo. Perfectò Ecclesiastica lege omnis fidelis perfectò rationis vsu pollens tenetur semel in anno in Paschate communicare coarctato iam ad singularem quotannis Communionem præcepto diuino.

13. *Quònam tempore instat præceptum?* In Paschate, nempe à Dominica in Palmis vsque ad Dominicam in Albis, alicubi planè ad proximam sequentem Dominicam producto tempore. Consuetudo attendenda.

14. *Si hoc tempore quis omittat quacunque de causa: numquam primum ad Eucharistia sumptionem obligatur?* Probabile est vsque ad proximum Pascha liberum remanere.

15. *Quid si indignè communicem?* Imples tamen per voluntariam susceptionem præceptum, id quod immediatè imperat Ecclesia.

## CAPVT III.

## Praxis circa materiam de annua confessione, &amp; Communionem ex Societatis IESU Doctoribus.

§. I. De annua confessione.

16. **L**igari incipiunt (vt vidimus) pueri post septennium, quando nimirum rationis vsus in eis viget, annua confessionis præcepto: num antea si rationis vsus maturius elucescat? Non, quia id per accidens, ad quod Ecclesia non respexit. *An teneantur hi in articulo mortis?* Ita planè, in quo si dubium sit de rationis vsu, & aliquod peccatum confiteantur, sub conditione debent absolui. Cessat enim per conditionem iniuria Sacramenti, & pars tutior pro pueri salute eligitur. *Incurrunt ne ante annos pubertatis synodalem quorundam*